



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ruperti Abbatis Monasterii Tuitiensis, ordinis sancti
Benedicti, Theologi antiqui ac plane clarissimi, in Cantica
Canticorum de incarnatione Domini commentario[rum],
libri VII**

Rupertus <Tuitensis>

[Köln], 1527

VD16 B 3703

Exultabimus & [a]etabimur in te.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34445

RVPERTI IN CANT. CANTIC. CA.
Non enim introductio qualiscunq; hæc debet in-
telligi, sed introductio cum iure possidendi: sicut
ius est sponsam legitimam, cum tabulis matri-
monij in dotem suam introduci. Quid ad hæc il-
la Elizabeth, cum istud intus aure cordis pene-
pisset?

¶ Exultabimus & lætabimur in te.

Luca. i.

¶ Hoc uere dixit, & cum magno clamore dixit,
Ait enim uoce magna: Benedicta tu inter mulie-
res, & benedictus fructus uentris tui. Et unde
hoc mihi ut ueniat mater domini mei ad me? Ec-
ce enim ut facta est uox salutationis tuæ in auribus
meis: exultauit infans in gaudio in utero meo: Et
beata, quæ credidisti, quoniã perficietur ea quæ
dicta sunt tibi a domino. Nonne hoc erat dicere
exultabimus & lætabimur in te? Iam enim inci-
pimus ego & infans in utero meo exultare in gau-
dio, a uoce salutationis tuæ. Ex hoc & nos, & qui
uēturi sunt post nos, exultabimus & lætabimur
in te: & cantabimus dicentes, quia Eua nos fe-
cit plorare, Maria nos fecit exultare, Nam quod
illa tristis abstulit, tu reddis almo germine: Icit-
co exultabimus & lætabimur in te. Quomodo
in te? Dicam paulo expressius.

¶ Memores uberum tuorum super uirginem
recti diligunt te.

Luca. ii.

¶ Hæc est & erit materia uel causa exultationis
uel lætitiæ nostræ in te, memoria uberum tuo-
rum, quia uirginis uberibus lactasse illum pre-
dicaberis qui creauit te: Dicemus enim: Beatus
uenter qui te portauit Christe, & beata ubera
suxisti, Et si aliud quid mysticum per ubera te